



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

42. An qui descendit mane ex loco ubi est ieiunium, perventurus ad locum  
ubi non ieiunatur, possit sumere ientaculum, & comedere in illo loco, ubi  
ieiunium non servatur, imò quamvis nocte sit ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Sup. hoc in §. 1. Negatiuam sententiam tenet Bordon *tom. 1. Resol. 18. n. 5.* alique viri docti consulti à P. Pellizar. quorum sententiam ipse probabilem putat in *Man. Reg. tom. 1. tr. 5. c. 5. q. 21. n. 5. 2.* dicens. [ Quod non est semper verum sententiam commodum, debere sentire & onus; sed solum in casu quo onus est inseparabile à commodo; (quod vtiq; non progredit in casu nostro.) Sicque Regulares fruuntur beneficiis, & commoditatibus ciuitatum, in quibus habitant; & tamen non subsunt oneribus, impositionibus, talliis, ac vectigalibus. Tum, quia negari potest, ac debet Regulares exemptos teneri obedire Episcopis in omnibus, quæ lege synodali præcipiuntur, & non derogant regulari disciplina. Tum quia, si detur Regulares teneri ad dicta ieiunij approbata ab Episcopis iam ipsi subiacebunt iurisdictioni illorum, etiam in casibus non exceptis; quod est contra immunitatem ipsorum personis competentem ex pluribus priuilegiis *alibi* referendis. Ita Pellizar. Vnde si standum esset in hac sententia, sequi retur, quodd Panormitanus, v. g. obligatus ex voto populi ieiunare in vigilia Conceptionis, B. Virginis, si illo die extaret in domo Patrum Iesuitarum, vel Theatinorum non esset obstrictus ieiunio & posset ibi comedere carnes; quod probatur ex doctrina Henr. Azorij, & Bonac. quam sequitur Pasqualigus in *praxi de ieiunio, decis. 212. n. 1.* & quam non impugnat Pellizar. *vbi supra n. 59.* asserens existentem intra Monasterium aliquod Regularium, non teneri ad ieiunia propria territorij, cuius est incolæ: nam locus exemptus æquiparatur alieno territorio; & aliàs delictum commissum in loco exempto est extra ordinarij iurisdictionem, *cap. 1. §. Nunquid de priuileg. in 6.*

2. Sed hæc omnia esse volo secundum mentem supradictorum Doctorum; nam scio communem sententiam esse in contrarium. Quare, præter Vasquez, & Sanchez à Pellizzario citatos, tenet affirmatiuam sententiam Lezzana in *sum. tom. 1. c. 11. num. 13. & tom. 3. verb. Ieiunium, 7.* & Portel. *verb. Dies festiui, n. 4.* De ieiunijs verò ab Episcopo in Synodo indictis, vide Riccium in *praxi, tom. 4. ref. 379. n. 4.* firmantem, Regulares ad illa non teneri.

3. Nota hæc obiter, Pellizar. *vbi supra, num. 58.* & Bordon *num. 2.* docere, Regulares existentes Mediolani in primis quatuor diebus Quadragesimæ, teneri ad ieiunium, si morantur in suis Monasterijs; secus autem si existerent in domibus secularium, quia vnusquisque potest se transferre à sua Parochia, vbi ieiunatur, ad Parochiam, vbi non seruatur ieiunium, & ibi non ieiunare; ergo, &c. Imò plus addunt, dictos Regulares, postea in diebus Rogationum existentes in suis Monasterijs, non teneri ad ieiunium quod tenentur in illis diebus ceteri Mediolanenses sicuti, v. g. Cremonensis existens Mediolani in primis quatuor diebus Quadragesimæ, & comedens carnes, postea Cremonia existens in diebus Rogationum, non teneretur in illis ieiunare. His omnibus consentit Pasqualig *d. 209.* quæ quidem non auderem tanquam improbabilia damnare.

RESOL. XLII.

An qui descendit mane ex loco, vbi est ieiunium peruenitur ad locum, vbi non ieiunatur, possit sumere ieiunaculum, & comedere in illo loco, vbi ieiunium non seruatur? Imò, quamuis nocte sit peruenitur ad ipsummet oppidum, à quo mane exiit, & vbi ieiunium seruabatur? Ex p. 1. tr. 9. Ref. 4.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Granado in p. 2. D. Thome contr. 7. tract. 4. par. 1. disp. 6.

sect. 4. man. 31. Coninch. in 3. p. de Sacram. q. 74. art. 4. disp. 3. n. 103. Pontius de matrim. lib. 5. c. 8. n. 13. Et ratio est: quia non refert, vt vesperi sit ponenda causa excusans à ieiunio; nam hæc nondum est posita; aliàs posset manè comedere carnes; quia eadem causa excusans à ieiunio excusatur, excusabit etiam ex causa ab abstinentia carniū, has enim vesperi licite comedet.

2. At, his non obstantibus, contrariam sententiam docuit Lessius *lib. 4. c. 2. dub. 8. num. 88.* vbi sic asserit: [ Qui discedit manè ex oppido domicilij, vbi est ieiunium, peruenitur ad locum, vbi non est ieiunium; non potest quidem in loco domicilij veli carnis; potest tamen sumere ieiunaculum; quia non tenetur illo die abstinere à secunda refectione, cum in loco, ad quem peruenitur est, possit secundo, & tertio comedere; ergo potest primam refectionem sumere manè, antequam discedat. [ Ita ille idem etiam docet Sanchez de matr. *tom. 1. lib. 3. disp. 18. num. 2.* Portel. in *addit. ad dubia regul. verb. ieiun. num. 2.* Naldus in *sum. verb. ieiunium, num. 2.* Filiucius *tom. 2. tr. 2. p. 2. c. 6. num. 109.* Molfesius in *sum. tom. 1. tract. 1. c. 4. n. 11.* Imò cum Sancio in *Select. disp. 54. n. 28.* & alijs, puto, hoc etiam esse verum, quamuis nocte sit peruenitur ad proprium oppidum, à quo mane exiit, & vbi ieiunium seruabatur: nam, cum ipse ferè per totam diem fuerit in loco, vbi non ieiunabatur; potuit licite pluries comedere, cum quo ieiunium nequit seruari; erit tamen adstrictus, serò in oppidum reuersus à carnis abstinere.

3. Ad argumentum verò Coninch, responderet ex Sanchez. obligationem abstinentiæ à carnis esse diuiduam; vnde toties illis vtens in die vtiq; delinquit mortaliter: quare potest pro parte diei eiusdem, dum in loco obligationis est, id præceptum seruare; & pro parte eiusdem diei non seruare, dum est, in alio loco in quo non obligat: sed obligatio ieiunandi indiuidua est, consistens in vnica comestione quam semel violans ieiunium, comedendo, non tenetur amplius ea die à cibis abstinere; cum ergo ieiunium nocte obligaturum non sit; non obligat summo mane. Ita Sanchez quem citat, & sequitur Villalob. in *sum. tom. 1. tract. 2. disp. 34. num. 3.* vbi sic ait: [ El que sale de su lugar, donde se ayuna, y llega la hora de la cena à otra, abonde se come carne, la puede cenar alli, y aun podria, antes de salir de su lugar, si tiene por cierto, que ha de yr al lugar, donde no se ayuna, al morzar en su casa por lo mañana, con que no coma carne entonces. ] Ita ille.

RESOL. XLIII.

An proficiscens à Ciuitate, vbi non seruatur ieiunium, accedens meridie ad locum domicilij, vbi seruatur tenetur seruare ieiunium, si nondum violatum est? Ex p. 1. tr. 9. Ref. 50.

§. 1. Affirmatiuè responder Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 1. cap. 12. num. 33.* Lessius *lib. 4. cap. 1. dub. 8. numero 57.* & Basilius Pontius de matrim. *lib. 5. c. 8. num. 3.*

2. Sed negatiuam sententiam docet Sancio in *Select. disp. 54. n. 4.* nam, vt supra dicendum est, mandatum ieiunij respicit integrum diem, vt indiuiduum obiectum; sed cum ille poterit licite comedere in loco, à quo discessit, merito non tenetur ad ieiunium per integrum diem. Et supradicti Doctores: eo modo, quo fatentur, proficiscentem ab oppido domicilij, vbi seruatur ieiunium, & peruenientem nocte, vbi non seruatur, posse in domicilio ieiunaculum sumere, eò quòd.

Sup. hac sequentia, & sequentibus in hoc §. in tom. 6. tr. 1. Ref. 48. ex doct. §. vlt. per totum, signanter in princ. & in tom. 5. tr. 1. ex lata doct. Ref. 86. in fine vers. Vnde.

Sup. his in Ref. præter, & in alijs eius primæ not.

Sup. hoc inf. in Ref. 44. &c.

\* Sup. hoc sup. in tr. 2. Ref. 41. §. Ad. in fine, &c. & pro existentibus in diebus Rogationum, &c. hic sup. in Ref. 39. §. 1. prope finem.